Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26030
Copyright: Admont, Benediktinerstift

solitudine
adtendebat, sustinens quod uidere desiderabat. Dicebat autem senex in semet
ipso dicens: Nunquid ueniens non me inuenit reuersa est? Hec dicens: lacrimans
flebat, et oculos eleuans in celum, suppliciter dominum deprecabatur dicens: Non me
alienes domine uidere iterum quod uidere me tribuisti, ne uadam uacuus peccata
mea portans in increpatione. Hec orans cum lacrimis: alia meum cogitatio in
cidit. Quid itaque et si uenerit faciet? Quomodo transiet iordanem quia nauicula non est.
Qualiter ad me indignum perueniet. Heu me infelicem. heu quis me tam iuste speci
ei alienauit. Hec sene cogitante, ecce sancta illa aduenit, et in parte alia flu
minis stetit unde uenerat. Zosimas autem uidens eam surrexit gaudens et ex
ultans nimis glorificans dominum. Luctamen autem certaminis in eo fluctuabat
cogitationis intentione, quia non potest iordanis transire fluenta. Et respici
ens senex uidit eam uexillo crucis aquas iordanis signantem. Loci enim noctis
tenebras splendor illuminabat lune, quia tempus recursus illi erat. Statim
autem ut signum crucis impressit, ascendit super aquas, et ambulans super liquidum
equoris fluctum ueniebat quasi per solidum iter. Zosimas autem stupens et genua flec
tere nitens: clamans desuper aquas prohibuit dicens: Quid facis abba, quia sacerdos
dei es, et diuina portas mysteria? Qui statim obediuit dicenti. Illa autem descen
dens de aquis: dixit seni Benedic pater benedic. Ille autem cum magna festinati
one respondit. Stupor enim nimius inuaserat eum in tam glorioso miraculo et
dixit: Vere non mentitur deus qui pollicitus est se similes esse eos qui semetipsos purificant.
Gloria tibi christe deus noster qui ostendisti mihi per ancillam hanc tuam quantum mee estimationis
inferior sum mensura uere perfectionis. Hec eo dicente, postulauit mulier
senem dicere simbolum, et sic dominicam inchoare orationem. Et expleto pater noster qui
es in celis: sicut mos est pacis osculum obtulit seniori, et sic uiuifica mysteria
sancta suscipiens dona in celis extensis manibus ingemiscens cum lacrimis ita cla
mauit: Nunc dimittis domine ancillam tuam secundum uerbum tuum in pace, quia uiderunt
oculi mei salutare tuum. Et seni dixit: Ignosce abba, et aliud mee peticio
nis imple mandatum. Vade nunc ad monasterium dei pace gubernatum. Post re
cursum autem anni aduenientis: iterum ueni in illum torrentem in quo tecum sum pri